



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 116. Canonisatio B. Caroli Borromæi Cardinalis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](#)

Sæc. XVII. deducta fuit. Die septima Julii Pontificis A. C. 1610. fex statuit, ut Fratres Joannis de Deo deinceps præter votum infirmis inferiendi etiam tria substantialia emitant, & veri Religiosi censeantur, cum tamen antea Clemens VIII. eis duntaxat votum de infirmis nuncupare concessisset.

### §. CXVI.

#### *Canonisatio B. Caroli Borromæi Cardinalis.*

*Bullar.* *Magn. Const.* *referenda* *venit* *Divi* *Caroli* *Borromæi* *fætiva* *in* *Superos*, *Sancti* *cum* *título*, *recensio* *a* *Paulo* *V.* *facta*. *Post* *quam* *enim* *jam* *anno* *Christi* *millesimo* *sexcentesimo* *primo* *Clemens* *VIII.* *acta* *de* *vita* *&* *prodigiis* *Beati* *Caroli* *per* *S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus præfectos*, *&* *tres* *Sacri Palatii Auditores* *rigide* *discuti* *jusserat*, *hi* *novam* *in præfati* *Cardinalis* *vitam* *&* *miracula* *inquisitionem* *esse* *instituendam* *censemebant*, *qua* *facta*, *interim* *Clemente* *VIII.* *&* *Leone* *XI.* *vita* *functis*, *ut* *Canonisatio* *negotium* *resumeretur*, *Philippus* *III.* *Hispaniarum*, *&* *Sigismundus* *Poloniæ* *Reges*, *plurimique* *alii* *utriusque* *sexus* *Principes* *ac* *Præfules* *Paulum* *V.* *Leonis* *XI.* *Successorem* *impense* *rogabant*: *unde*

unde ut nova hæc acta rursus exacte, ma- Sæc. XVII.  
ture, atque ea, quam tanti negotii gravi- A.C. 1610.  
tas deposcit, integritate expenderentur,  
Rotæ Auditoribus commisit, qui nulli  
labori ac industriæ parcentes, habitis octo  
Consultationibus tandem anno priori  
die septima Decembris summo Ponti-  
fici, & duodecima ejusdem Mensis die  
Congregationi Sacrorum Rituum refe-  
rebant, constare de Beati Caroli San-  
ctitate, & prodigiis, omniaque ad Ca-  
nonisationem a Sacris Canonibus re-  
quisita legitime fuisse probata. Quo  
facto tredecim Cardinales ad id De-  
putati denuo summo rigore omnes acto-  
rum apices, celebratis undecim Congre-  
gationibus, discutiebant, ac plane cuncta  
legitime probata esse censentes desuper  
summum Pontificem certiorem redde-  
bant. Hic ergo die trigesima Augusti  
hoc anno publicum, ut vocant, Con-  
sistorium indixit, in quo Pinellus Car-  
inalis facta virtutum ac miraculorum  
relatione, ac recensitis hucusque hac in  
causa agitatis hujus Beati Apotheo-  
sin urgebat: Die decima quarta Septem-  
bris rursus habito conventu, Julius  
Roma Aulæ Consistorialis Advocatus  
nomine præfatorum Regum pro matu-  
rando hoc negotio supplex perorabat:  
postea Pontifex rem ulteriori delibera-  
tioni relinquendam respondens, habito  
*Hist. Eccles. Tom. LIV.* Mm hanc

Sæc. XVII. hanc in rem sermone omnes hortabatur, ut eleemosynis, jejunis, ac orationibus Spiritus Sancti gratiam implorarent. Porro convocabantur ad vigesimam primam præfati Mensis diem omnes, quotquot Romæ agebant, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Sedis Apostolicæ Notarii, Auditores, necnon Magister Sacri Palatii, Secretarii & Promotor Fiscalis, quibus præsentibus Pontifex cunctorum suffragia colligi jussit, demum vero de vita & miraculis Beati Caroli tam luculenter differuit, ut nemine refragante omnes eum Sanctorum honoribus dignum & pertis eorum suffragiis censerent. Tandem die prima Novembris Papa Beatum hunc Cardinalem Sanctorum Confessorum ac Pontificum albo, consueta solemnitate adscripsit, ejusque festum quotannis die quarta ejusdem Mensis celebrari præcepit: Huic suæ Constitutioni triginta tres Cardinales subscripsos legimus.

## §. CXVII.

*Variae Decisiones jussu summi Pontificis emanatae.*

*Decret. S. Congr Rit. Decis. SS. Cong. Concil. & Epist.* Pleraque etiam dubia, quæ circa variros Ecclesiæ ritus occurrabant, hoc anno summi Pontificis auctoritate decisæ.